

Baleum video. Manus tamen in *Cod.* diversa est.

X. fol. 90. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, *Magistri Stanislai de Vero et Falso*. Incipit: *De vero et falso aliqua generaliter pertractare non erit inutile. Et quidem primum de vero incipiendum est. Ponitur autem solita divisione quoddam verum entis et quoddam propositionis &c.* Capitibus XIV. constat Praelectio haec Logicotheologica et finit: *Illam autem veritatem studeamus agnoscere, quam semel uidisse est omnia didicisse, cui laus &c.* Adnotavit illam e *Cod.* praesenti *J. Dom. Mansius ad Fabricii Bibl. med. Lat. L. 18. p. 202.* Vide in *Indice*, quae de *Stanislao*

de Znoyma dixi ad *Codd.* plures. Unde illum Cl. *Ungar* in not. ad *Balbini Bob. doct. P. II. p. 173.* Ordini Praedicatorum adscripserit, nescio. *Quetifus* et *Echardus* eum inter suos non censuere. *Stephanus Dolanens.* suum ei *Antibussum* dicavit, qui legitur T. IV. *Thef. Anecd. Peziani p. 363.* Ad calcem nobis haec nota miniata jacet: *A. d. M^o.CCCC^o. XII. feria 5^a post festum Marci tempore Exequiarum amici przisnako- nis Nicolai de Mnich.*

Codici praetexta est Membrana exhibens Partem *Passionalis* rhythmi Sec. XIV. eleganti manu bohemicæ, sed singulari orthographia exarati. En specimen:

*Uwiechzffi zzwathy iacob zzlome
Chzinem trogie chzcty botowe
Yus iemu pizzmo wydawa
Podle tyechto trsi chzcty prawa &c.*

*Major Sanctus Jacobus dicitur
Opere trium virtutum expeditus.
Ius ei Scriptura tradit.
Secundum harum virtutum normam.*

Et alia similia Rhythmica.

CLXXXII. VII 7. 14

470 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 188. 4. a diversis manibus sequentia continet: I. *Concordantias Bibliorum* triplici columna caractere minuto et difficili scriptas, cum cetera, quae succedunt, nitide exarata sint.

II. fol. 65. Incipit epistola *Enee Siluii de pecolominibus quae est de situ thabur et communione sub vtraque specie.* Data ad *Johannem S. Angeli* Cardinalem *Diac.* initium habet: *Quamuis*

apud bohemos apostolice sedis legationem habueris &c. et finem: *Quando deus et fata uolent veniemus ad te.* *Ex noua ciuitate* (Neustadt Austr. infer) *Kalendas* (praepone duodecimo) *septembris Anno domini M^o.CCCCL primo.* Litterae hae ad Historiam temporis non parum opportunae leguntur in *Edit. Opp. Aeneae Silv. Basil. 1571. Lib. I. Epist. n. CXXX. p. 660.* expressae ad veteres Sec. XV. Editiones, quarum et *σφαλμαρα* retinuerunt, ut conferenti patet. Ita utrobique mox sub ini-

tium absone: *Praetermittam nihilominus locos illustriores.* Reponē cum Nostro: *Praetermittam nihilominus multa de multis et solum attingam locos illustriores.* Ita mox: *ad Taboritas potius quam in apertis villis pernoctare.* Inferre: *potius divertere.* Et dein: *Sacerdotes occisos,* rectius cum Codice: *crematos.* Et sic ultra.

III. fol. 85. Excerpta ex *Epistola*, quae inscribitur: *lampertho de ciuitate kalis in Regno polonie Canonico Sandanirensi* (Sandomiriensi?) iam actu licentiato in utroque iure in alma et famosa vniuersitate parisyen. a *Johanne de Ciuitate poznanya ejusdem regni arcium magistro nec non in decretis baccal. universitatis Cracouien. et ecclesie rectore parochialis in opido gostyn dyoc. pozn.* et refert *Articulos XXVI.* a *Simone* quodam apostata ordinis *Cystercien.* pro concione propositos in *profesto beati Georgii* anno *MCCCCL.* in *Moraviae Civitate Cromerziz,* cujus Parochiam vero et iusto plebano cremato occupaverat. Civitas haec *Bohemiae Kromierziz Cremfirium* est; ait enim Polonus noster: *que quidem Ciuitas aliquando fuit ex privilegio fundacionis vetuste Episcopi dyocesis olomuncien. sed potentia hereticorum dudum est ab illo alienata.* Articuli porro relati sunt: Eucharistiam a iusto vel peccatore sub utraque specie sumendam, et quidem quotidie. Intra diuina nil offerendum humani, sed oblationes faciendas in aede Plebani. Virginum capita in ecclesia peplis velanda, nec

quisquam masculus caput eis fertis audeat trabeare. Et deinceps contra Cultum Imaginum, Autoritatem Papae et Episcoporum, Confessionem auricularem, Suffragia pro Defunctis, Possessiones Cleri, *Viros beluatos,* ita Monachos vocat, quos in *Silveta* relegat; inclusionem Hostiae in Tabernaculo &c.

IV. fol. 88. *Gesta Steffani de porcariis Romani militis.* Motam ab hoc Equite Rom. viro, ut ait Noster, *animi utinam tam moderati quam erat ingenio preditus docili et lingua ad dicendum paratus,* *Nicolao V.* in urbe seditionem narrant *Platina* et *Ciaconius* in vita egregii hujus Pontificis, *Aen. Silvius* in *Hist. Europae,* et alii. Totam porro Rei seriem praefens complectitur *Epistola* data, ut ad calcem habes, *Rome XIX. Kalend. februarias MCCCCLIII.* itaque quinque diebus a sumto de *Stephano* et complicibus supplicio. Eam inter Opera *Philelphi, Poggii, Vallae, Georgii Trapez. Blondi, Gazae* non inuenio, pertinere tamen ad unum aliquem e doctis illis Advenis, quos *Nicolai* in literas amor et liberalitas in Urbem adciverat, ex iis conjicio, quae finem versus leguntur: *Nos alii quidem, qui etatem hic duximus, qui laudi urbis afficimur, civiumque loco amore in urbem sumus &c.* Orditur vero is: *Et si ad uos que per hos dies hic apud nos gesta sunt rumoribus esse delata non dubitem, tamen quod in tantis rebus sit (sit?) cupere te arbitror a nobis amicis ea discere, que*

que ab incertis autoribus perlata vix credibilia esse ob facinoris immanitatem videantur. Faciam quod amicis decet. Inde narrationem ingressus exponendis argumentis, quibus Stephanus ad Suorum concionem usus est, et Exterorum, qui tum in Urbe degebant, sensis plurimum immoratur. Refert tamen et Conjuratorum consilia, qui inter alia praedam sic adnumerabant: ex pontificis domo et rebus CC. millia. ex collegio (Cardinalium?) CC. millia. ex mercatoribus atque aliis qui officiis praesunt CC. millia. ex publicis horreis, salinaris, atque ex inimicorum civium fortunis centena millia. Re detecta captum apud Sororem in scrinio Stephanum, antequam e muro Castris S. Angeli penderet, dixisse: Obe tribus diurnis horis me superastis, nos victoria in noctis vestibulo properans expectabat. Ita homo animo fortasse par fortuna infra Nic. Gabrinum Rientium fuit. Finit Noster, cujus tota Epistola lucem mereretur publicam: Memini tempora Eugenii, audiui bonifacium et plurimorum pontificum aduersos casus non ignoro — Tum quid de tota re statuam, quid de me consilii capiam, nondum constat, preter id, ut ex temporum euentu consilia in diem capturus pendeam. Vale. Adiectum in Porcarium Hexastichon.

V. fol. 98. Arengna (Harangue) facta per dominum franciscum petrarcham poetam laureatum in Ciuitate Nouarie coram populo eiusdem ciuitatis et presente Mag-

nifico domino galeaz de vicecomitibus de mediolano dum dicta ciuitas fuisset rebellis ipsi domino, reducta ad obedientiam dicti domini Galeaz MCCCLVI. XVIII. Junii. Petrarcham desertis Vallis Clusae deliciis an. 1352. in Italiam patriam demum reversum in clientelam Vicecomitum Mediolanensium concessisse, ab iisque variis negotiis publicis adhibitum fuisse novimus. Turbas Novarienses per Marchionem Montis Ferrati ab Optimatibus Joh. Savio et Opic. Torniello in urbem inductum exortas narrat ejus urbis Notarius Petr. Azarius T. XVI. Scriptt. Rer. Ital. Rebus itaque compositis habita haec Adlocutio, quam sacros Oratores sui temporis imitatus ita ingressus est Noster: Conuertetur populus meus hic. Pf. 72. Et propter domini praesentiam et propter tarditatem hore et quia nec predicator sum, nec (vt verum fatear) nisi propter obedientiam huius actibus delector, sciens hodie sollemnitates predicantium ceremoniasque pretereo &c. Duas mox sibi Partes constituit: quarum prima continet actum correctionis laudabilis, quia conuertetur. Secunda continet pactum possessionis amabilis, quia populus meus. Leonardum aliquem de Utino, Robertumve Caraczolum loqui credas; verum exerit se mox Petrarchae in omnem antiquitatem expatiantis eruditio et Classicorum usus. Novariae Dominium a Matthaeo seniore Vicecomite usque ad praesentem deducit Galeatium II. Novarienses vero excusat

cusat potius, quam accuset. Nihil de toto hoc negotio, quod miror, *Corius* in *Hist. Mediol.* Unde *Adlocutionem* nostram luce dignam puto, quod et de *Sequentibus* velim intelligi.

VI. fol. 104. p. 2. *Arengna facta Venecijs 1353. octavo die Nouembris super pace tractanda Inter commune Janue et Dominum Archiepiscopum Mediolanensem ex vna parte et commune Veneciarum ex altera per dominum franciscum petrarcham poetam et ambasiatorem supradictum.* Cladem Augusto mense praecedente tantam a *Venetis* passa erat *Januensium* Classis, ut hi necesse habuerint se in *Johannis Vicecomitis* Domini simul et Card. Archiepiscopi *Mediolanensis* fidem dare. Rem narrat *Corius* ad *b. a.* nil vero de Legatione nostra, quae successu caruit, bello usque in an. 1355. producto. Brevior est *Adlocutio* nostra priore, et incipit: *Si vnquam alias magnifice dux* (Andreas is *Dandulus*) *vosque viri nobiles qui in consilio adestis, egre tuli linguam humanam et presertim meam non sufficere exprimendis ad plenum animi affectibus, bodierno die magis magisque doleo &c.* Pacem commendat argumentis sacris et profanis. Archiepiscopum Dominum suum requirere pacem ab eis, cum quibus nunquam habuit bellum, oblata nuper *Ei* a *Venetis* auxilia, ut ad *Januae* dominium perveniret, nunc *Januam* ultro ad ipsum accessisse. Meminissent, olim a *Johannis Patre* (*Matthaeo M.*)

concordiam inter ipsos et *Januenses* restitutam fuisse &c. *Dandulo* Duci nominatim in memoriam revocat *Epistolam*, quam ab initio belli hujus ad ipsum misisset. Atqui ea legitur *Opp. Petrarchae. Basil. 1581. T. II. p. 969.* Nihil vero rursus de praesente *Arengna.*

VII. fol. 106. p. 2. *Collatio brevis facta in palatio Regio parisius per dominum franciscum petrarcham poetam coram illustri domino Johanne Francorum Rege post liberationem suam de carceribus regis Anglie in MCCCLX primo die decima tertia mensis Januarij. Capto ad Cressiacum ab Anglis an. 1356. Johanni II. annoque demum 1360. 13. Dec. Parisios reduci honorificam Legationem misit Galeatius Vicecomes, de qua in Collatione orator noster: Super hijs atque alijs dominus meus ac deuotus Vester dominus galeatz Vicecomes Mediolani dominus misit hos quatuor nobiles militares viros, hunc iuris ciuili professorem et me &c.* Orditur vero ita: *Exaudiuit orationem ejus, reduxitque eum in Jerusalem in regnum suum. Paralip. II. c. 33. Antequam de proposito meo loquar serenissime principum premitienda mihi videtur excusatio mei ipsius, scio quod coram tanto rege locuturus deberem, si possibilitas afforet, eo sermone uti, qui uobis esset acceptior ac nocior. — sed non sum tanti ingenij, linguam gallicam nec scio, nec facile possum scire. Carpentoraci itaque, in Monte Pessulano, et Auenionensi*

si Vicinia non erat eam condiscendi opportunitas, quod mirere. Solatur se tamen, quod sepe ab amicis quibusdam fidelibus vestris audieram quod scilicet prima etas uestra fuerat amantissima literarum et latini presertim eloquij studiosa &c. Multis dein adposite ad praefixum Thema de Regum conditione et fortuna e sacris Literis, vetustisque Autoribus depromptis, Munus profert: Si quidem die illo infausto quo maiestas uestra euentu incredibili et indigno suorum in hostium manus uenit, amulus quidam insignis ac carus et digito tanti regis ydoneus ab hostibus ipsis captus et uobis ereptus fuit, quod cum apud nos fama uulgasset, nullam pretermisit occasionem dominus idem meus, quo dictum anulum recuperare posset, et tandem voti compos effectus ipsum uobis anulum per nos mittit, et quoniam nichil est minus regium quam solitudo nolens anulum ipsum (solum?) uenire, alium quendam ex suis anulis sibi comitem dedit. En tria magni Petrarchae Opuscula, de quibus altum apud Scriptores, quos non paruo numero inspexi, silentium, nisi quod Cl. Tiraboscum *Hist. Lit. Ital.* T. V. L. 3. p. 431. Legationis Francicae meminisse video.

VIII. fol. 112. p. 2. Oratio domini zenobii florentini ad karo-

lum quartum Romanorum Imperatorem in commendatione fame. In *Cod. Medic. Laurent.* additur: habita extra cathedralem Ecclesiam Pisanam in mane Adscensionis Domini coram Domino Card. Hostiensi et aliis Praelatis. Vide T. III. *Catal. Codd. lat. col. 735.* Ubi et Excerpta quaedam dedit Cl. Ang. M. Bandinius. Celebritati huic, ut narrat *Matth. Villanus L. V. Hist. Florent. c. 26.* ansam dedit *Laurea Poetica* ab Imperatore collata *Zenobio* an. 1355. qua occasione *Petrarcha* quamvis ei amicus haec sibi uerba in *Praef. Libror. Inuestivar.* edit. *Basil.* p. 1087. excidere passus est: quem *Ausoniis* armatum *Musis* barbarica nuper laurus ornavit, deque nostris ingeniis, mirum dictu, iudex censorque Germanicus ferre sententiam non expauit; quae et inuidiolam quandam, et non fat gratum erga additissimum sibi *Carolus* animum et ridiculam illam Recentiorum vanitatem antiquis se *Romanis* inferentium produunt. Aliter de iudice censoreque suo *Germanico* sub finem Orationis *Zenobius*: Nam hoc tempore cum pene tota lapsa huius studii a tot ante seculis cura esset, tu et in hoc homuncione precipue decus poetici honoris exuscitas, ut uerum sit, quod *Satirus Juuenalis* dicit:

*Et spes et ratio studiorum in Cesare tantum.
Solutus enim tristes hac tempestate camoenas
Respexit.*

Itaque Germanum illum *Italicorum* ingeniorum potius *Exuscitatore* cum *Zenobio* adpellare non *expavescamus*. Sed in viam. Praeter *Bandinii* Excerpta, et ea, quae protulit *Abb. Mebus* in *Vita Ambrosii Camald.* nihil Oratoris nostrae publice extat. Incipit illa a *Virgilio* loco: *Stat sua cuique dies* &c. et aliorum Veterum sententias plenis modis admetitur, utque patriam *Italiam* celebret, id tamen sine aliorum facit contemptu. *Jam non te cura patrie, non hereditarij regni tui paterna successio, non te tuorum mores aut lingua, cum quibus ab ipsis infantiae primordiis versatus es, retrabant, quin magis uelis esse ytalicus quam germanicus. Ytalia tua patria est, tua sedes est* &c. *Efferantur licet suis ad celum titulis diuersi terrarum tractus, sit hominibus frequens, sit cordatus arthous, accinctus* (vel armatus?) *Gallus, neruosus hispanus* &c. De Autore *Zenobio de Strata* adi, si placet, *Cl. Tirabosci Hist. liter. Italiae.* T. V. p. 480.

IX. fol. 126. *Controuersia Ciceronis in salustium.* Passim obvia, et *M. Porcio Latroni* potius tribuenda. *Ea demum magna uoluptas est* &c.

X. fol. 130. *Gaij cesaris facunda oratio in senatu qua persuasit victos ob coniurationem per municipia romana seruari.* Incipit: *Omnes homines, patres c. qui de rebus dubijs consultant* &c. Intexta *Bello Catilinario Sallustii*, et hic non integra.

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

XI. fol. 131. *Oracio demostenis ad alexandrum.* Incipit: *Nichil habet Rex Alexander uel fortuna tua maius quam ut possis, uel natura tua melius, quam ut uelis seruare quamplurimos* &c. *Deprecatur Demosthenes* hic, vel *Simia* potius *Ciceronis pro M. Marcello*, *Tbebarum* ruinam.

XI. fol. 133. *Sermo factus anno 1047. (lege 1404.) quando iuimus Ambasiatores domini nostri francisci (II.) de carraria domini padue prolatus per me coram serenissimo (Carolo VI.) francorum Rege.* Exordiolo Sermonis hujus et minus correcte descripti, et, quod dolendum, sine truncati subiectum est: *Franciscus de Zaba.* Autorem itaque tenemus *Franciscum de Zabarellis* clarissimum *J. U.* interpretem *Florentinumque Praefulem*, anno 1417. *Constantiae* in Synodo defunctum, cujus gesta enarrat *Hier. Tiraboscius Hist. Lit. Ital.* T. V. p. 306. et ante eum *Guido Panzirolus de cl. Legum Interpr.* L. III. c. 28. qui et Legationis nostrae his verbis meminit: *Cum vero — Patauium gravi bello a Venetis premeretur, ad Regem Gallorum, ut opem imploraret, missus, nihil obtinuit; in eo lapsus, quod eam ad annum usque 1406. protulerit, quo jam Venetis in carceribus mortem operiebatur Franciscus Carrariensis.* Incipit Exordiolum: *Celsitudinem tuam Regum maxime fidelissimus tuus meus dominus padue adire nos iussit* &c. Oratio vero ipsa: *Plurimum fiduciae*

K k

ducie

ducie princeps illustrissime cuique tribuit sue cause iusticia &c. Inter alia: Cum itaque Veneti nullo diffidationis oraculo premissso domini mei territorium inuasissent, cumque molirentur ut eum suis urbibus et opibus et vicis spoliarent, ut domo eicerent, ut eum exulare cum sua stirpe compellerent, ipse confisus sibi contra iniquam oppressionem non defuturum domini sui presidium hoc indicavit illustri gubernatori Janue, dominique nostri regis in Italie partibus vices agentis (Joh. Meingraeo Bucicaldo). Que uero Janue gesta sunt, Excellens doctor dominus Johannes ipse d. gubernatoris et communis Janue preclarus orator exposuit luculenter. Summa est, ut uestro iussu uestroque presidio fiat inter commune Janue dominumque meum confederatio &c. Sed nihil actum glifcentibus jam tum in Gallia Aurelianensium, Burgundorumque diffidiis. Abrupta, ut dixi, in his verbis Oratio: merebitur gloriam que maxime propagatur — —.

XII. fol. 140. Ad magnificum dominum Nicolaum Arcinibeldum (Arcimboldum) ducalem (Mediolani) Consiliarium Virum integerrimum Stephanus de nouaria. Initium Epistolae: Arbitror grande nuper excogitatum ac presuntum Rome facinus gravi quoque rumore ad uos usque peruenisse, sed vario quidem modo. Ne igitur animus diu in incerto sit, rem prout fertur communiter, accipe. Stephanus porcarius miles romanus &c. En Epistolam geminam ei,

quae N. IV. recensa est, datam tamen tardius III. scilicet Nonas Februarii MCCCCLIII. ut in calce notatur. Si utramque jungas, completam habes Coniurationis hujus Historiam, ut enim illa cogitatis, ita haec factis est uberior, pluraque de Complicibus Stephani subpeditat, inter quos erat Petrus de Monte rotundo Physicus, cui papa ut sue familie curam haberet, aureos CC. annuos constituerat et paucis antea transactis diebus alios centum dono dederat. Stephano ipsi ob turbulenta consilia jam a triennio Bononiam remoto aureos annuos CCC. pendendi iusserat Nicolaus Pontifex; Legatus uero Bessario aureos C. ex propriis adiecit. Ut S. Angeli Castro potiretur Porcarius, cogitabat Papam et Petrum de Noxeto primum pontificis secretarium, de quo varia inter Aeneae Silv. Epistolas, ad presentiam castellani, qui Petri germanus erat, vinetos adducere, in quam rem catenas deauratas suis ostentabat. Indicia prima delata fuisse ad Card. Ludovicum Patriarcham Aquilejens. aut Card. Firmanum. Stephanum captum hora quasi septima noctis ante Epiphaniae diem, qua capiendus erat inter Missarum Solennia Pontifex. Praeter illum Sex tantum alios in furcam actos. Haec Autoris potissimum verbis, qui sub Epistolae finem Stephanus Chaza (Caccia) de Nouaria dicitur, mihi quoque nullo alio indice innotuit, quam Aenea Silv. in Epistolis, quamvis de Nico-

lao

lao Arcimboldo adiri queat *J. M. Mazzucchellii de Scriptt. Ital. Vol. I. P. 2. p. 965.*

XIII. fol. 145. *Venerando magistro Johanni de Rokitzan in Christi veritate patri precolendo. Initium: Uenerande magister &c. Tuas honestas quales alii non dixerunt hodie duobus episcopis pluribusque magnificis ac prestantissimis viris presentes litteras gratanter accepi &c. Est hic Johannes de Capistrano Aprutinus O. M. rebus per Germaniam, Bohemiam, Poloniam, Hungariam gestis notissimus, qui hac Epistola Communionem sub una Specie propugnat, oblatum sibi Colloquium libenter acceptat, et gratias agit propter procuratum sibi saluum, ut vocat, *Conductum*. Ad calcem: *Ex brunna secunda Septembr. Anno &c. LI. Supple MCCCC. Frater Johannes de capistrano ordinis minorum. Fuerit Epistola haec inter multas illas, quas propria Johannis manu scriptas reverenter apud se servari dixit Lucas Waddingus in Scriptt. O. M. p. 197. qui eam vulgavit Annal. O. M. T. XII. Romae 1735. p. 93. f. uti et Amand. Hermann in Capistrano Triumph. p. 346.**

XIV. fol. 147. *Reuerendo in Christo patri fratri Johanni de capistrano ordinis minorum professori ac Vicario generali Eneas (Silvius) episcopus Senen. S. P. D. Aduentum uestrum ad nouam ciuitatem multis referentibus intellexi &c. Impetrarat Fridericus Imp. a Nicolao V. per Aen. Silvium,*

*ut Johannes in Austriam mitteretur. Digressus igitur post Pascha anni MCCCCLI. ex Italia penultima Maji die Neostadium adpult, et quinta Junii praesentibus Literis Viennam invitatus est. Defunt eae in vulgatis Epistolarum Aen. Silvii Collectionibus. Accesserunt me hodie burgemagister, id est praetor suae praesens huius inclite urbis wienn. scribit Noster, et Consules una secum, dixeruntque, magnum et sanctum virum accepimus venisse ad nouam ciuitatem, cuius sermonem et uitam admirantur omnes. Ytalicum esse aiunt ordinis minorum sancti bernhardi conciuis tui (Senensis) discipulum. Timemus ne regionem hanc relinquat, priusquam nos visitet. Scribe, rogamus &c. Atqui scribit, laudataque Vienna subdit: *Magna hic messis est, et multi manipuli deo offerendi, deuotus populus et boni cupidus — Et quamuis multis hic respectibus babilonia reputari possit, alijs tamen de causis hic Syon est et ciuitas magno regi accepta. Sed si babilonia est, indiget uestra presentia, si Syon, digna est aduentu uestro. &c. Non abnuit Johannes; jam enim nona Junii mira Viennae patrasse legitur in Vita descripta a Christoph. de Varisio p. 127. edit. 1523. 4. His Invitatorijs Waddingo et Am. Hermann in Capistrano Triumphante Sect. XVI. C. 7. ignotis succedere sequentes.**

XV. fol. 148. *Kotzmurus (Cazimirus IV.) dei gratia Rex polonie magnus dux Lithwanie et heres Russie. Data est haec Episto-*

la in Grodeck In vigilia natiuitatis sancte marie Anno domini MCCCCLI. itaque mox a didita fama eorum, quae mense Augusto per vicinam Moraviam Capistranus egerat. Initium: *Uenerabilis et egregie vir pater noster singulariter carissime. Splendorem suum princeps regum terre habunde in nos et naciones flauorum effudisse cognoscitur, dum pro gentis bohemicae reductione, quae in regionem dissimilitudinis abiens varia heresum dogmata sectabatur, te virum olim sibi cognitum et probatum diuina mente et stupendis operibus insignem transmisit. Et gaudet ob id omnis aquilonaris plaga &c. Multis dein in turbas Bohemicas inuestus orat sollicitus Princeps, ne suos praetereat. Est nobis regnum poloniae tenaci fide catholicam religionem obseruans. Est et ducatus Lithvanie, cuius populos genitor noster clarissime memorie Vladislaus — ab ydolorum cultura ad vnius veri dei agnitionem reduxit. — Sunt praeterea nobis terre Russiae latissime, quae et si fidem profiteantur christianam, in sectam tamen grecorum dudum pertractae sunt. &c. Tum Ruthenorum praecipue convertendorum spem maximam facit. Demum preces ad Deum ab Iohanne expetit pro feliciter celebrando Prelatorum et Baronum in festo S. Michaelis, ut ait, Parlamento. Invitationi huic quam etiam Waddingus T. *suprac.* p. 98. exhibet, non nisi anno 1453. respondit Noster novem in Polonia menses moratus, quando et Eli-*

sabetham Alberti II. Imp. filiam Casimiro matrimonio iunxit.

XVI. fol. 150. *Excerptum vnius Missive factae a Iohanne de Capistrano ad fratres suos Wienne. Fratres suos dictos de Observantia ibidem stabilierat an. 1451. Missivam hanc Bruna aut Olomucio dedisse videtur. Commemoratur in ea suos in Bohemis ad unionem reducendis labores: ad unam Concionem confluisse centum Millia hominum, tria Millia et Sexcentos ad Ecclesiae gremium reuersos &c. Initium: De statu nostro et si certiores vulgari fama facti sitis &c.*

XVII. fol. eod. *Epistola Turci ad summum Pontificem destinata. Anno MCCCCLIII. Item Epistola Soldani ad Papam. Et Responsio pape Clementis data: Avinion. XII. Kalen. Augusti Pontificatus nostri Anno 1. Nugae nugarum, Seculo XV. non semel impressae, de quibus mentio frequentior in Indice.*

XVIII. fol. 156. p. 2. *De Coronacione Friderici Imperatoris tercij per Columbanum de pontremulo Tempore Nicolai diuina providencia pape quinti Anno domini MCCCCLII. die uero ut infra Pontificatus Sanctissimi domini nostri Anno quinto descriptio ad spectabilem virum et dominum suum dominum Nichodemum (de Pontremulo) ducalem (Mediolan.) Secretarium oratoremque tunc apud Sanctissimum pontificem transmissa. Destinarat Lambecius ó μαχαρίτης Descriptionem hanc inferere suo Rerum Germanicarum*

Syntagmati, ut habes in *Catalogo Libror.* a se editor. *Vindob.* 1673. p. 59. 4. ubi pro *Nico-*

demo Nicolaus irrepfit. Quoniam vero

Vitae summa brevis spes nos vetat inchoare longas,

Res intra promissa stetit. His igitur ut a muneris Heredibus fiat fatis, totum hic *Columbani Opusculum* cum praevio *Ejus ad πατριωτην Nicodemum Epistolio*, locum obtineat; adnexa enim *Ladislai Hungariae Bobemiaeque Regis ad Nicolaum V. Oratiuncula* jam in *Job. Cochlaei Hist. Hussit.* L. XI. p. 380. et quidem multis partibus amplior legitur.

Ad spectabilem et eruditissimum virum dominum Nichodemum de pontremulo, ducalem secretarium oratoremque apud sanctissimum dominum nostrum Nicolaum divina providentia papam quintum serenissimumque Imperatorem tertium Fridericum dominum et benefactorem honoratissimum.

Non fuerunt ingenioli mei vires, vir optime preclarissimeque domine, ut te eo prosequerem munere, quod tanti viri auctoritas elegantiaque singularis digne expectare mereretur: sius tamen ea ipsa tua solita benignitate clemenciaque mirabili ausus sum rubicundus breue communique sermone constructum compendium ad te mittere. Quod velis, obsecro simul et obtestor, grato animo bylarique facie nostri in memoriam suscipere. Vale meque servulum tuum ex animo commissum tibi cupito.

De coronacione Friderici Imperatoris tercii per Columbanum de

Pontremulo tempore Nicolai divina providentia pape quinti Anno Domini MCCCCLII^o, die vero ut infra, Pontificatus sanctissimi Domini nostri Anno quinto, Descriptio ad spectabilem virum et dominum suum dominum Nichodemum, ducalem secretarium oratoremque tunc apud sanctissimum Pontificem transmissa.

Exigeret, vir prestantissime, virum longe amplioris auctoritatis, ingenio, facilitateque dicendi dicentem hujus actus sacratissimeque ceremonie relatio, quam ego sum, qui homunculus, ut ita loquar, rudis ac incultus, ut laudis alicujus oratoris aut glorie effectum videam assequi, onus in caesaris nostri adventu gesta, demum coronacionem perpetrata describere non assumpsi, cum calamus meaque lingua non his maximis preclarissimisque adeo, omnique arte ac eloquentia dignissimis forte, verum etiam minimis defectisque negociis penitus deficere videatur. Quod solum velim actum existimes, primum, ut tue geram morem voluntati. 2^m, ut, quod officii mei est obedire, condigna ac merita persolvam eximia. Si igitur incomptum aut tua lectione indignum quidquam inveniatis, non meae quidem ignaviae aut stili rusticitati, sed tibi ipsi, cui me parem minime, sed indignum censeo, inferto, qui jussu evi-

denti levique adhortatione ad id me impulisti. Qua primum die Summi Pontificis legati Romanam, obviam regie maiestati profecti, relinquerent, de hinc quo in loco, aut in urbe reperirent, ac de ipsius adventu optimo et felici dicendum existimo. Posthec de celeberrima coronacione ejusque ceremoniis, juxta ingenii facultatem, describemus. Teneo mediis fidius haut volubili mente, ea forte solacio voluptatique affutura, cum facta ipsa sint cum vetustate ipsa et priscorum autoritate dignissima, tumque per raro, ac tam ingenti rerum et nominis existimacione fieri consueverunt, magnifica quidem omnique laude digna ac permaxima iudicanda videntur. Qua in re duplici voluptate compleor; Altera, que oculos inspectione rerum ab nostro usu longe distancium oblectat: Altera contemplacione perstringens, que inter legendum scriptorum autoritate admiramur.

Profecturi III. Kalendas Februarii Reuerendissimi Cardinales domini editi a summo Pontifice Legati obviam sacre regie maiestati Roma discessere, qui ne quidquam pretermisisse iudicemur, fuere Reuerendissimus Bononiensis, quem aiunt sanctissimi domini nostri vterinum fratrem existere. Reuerendissimusque dominus sancti Angeli Cardinalis nuncupatus, vir utique doctissimus omnique religione dignissimus, geminis presulibus ingentique ac lucida clericorum scutiferorumque caterva comitati. Florenciam pridie Nonas Februarii attigere, quo Regiam sacram ma-

iestatem haut dudum deuenisse cognouerunt. Inde uero senas versus vna cum Imperatore iter assumptas, octavo Ydus Februarii abiire: pridie Ydus Februarii Senensibus relictis limitibus, quo denotati mensis quinto Ydus deuenierant. Hic oratores, qui diuo cesari nostro se comites addiderunt, Romanam urbem celerius petere conantur, operam edibus ceterisque vsui accomodatis exhibituri. Sexto Nonas Marcij, hora fere XXI. Illustrissimi domini ducis mediolanensis oratores urbem non exiguo cum honore sunt ingressi. Quibuscum una excelsi Florentinorum domini Legaciones urbem introiere. Ea ipsa die, hora circa XX. Illustrissimi domini Veneto- rum oratores in urbem introitum perfecerunt. Tercio Nonas Marcij Illustrissimi principis excellentissimique domini ducis Mediolanensis oratores, hora ferme XXI. Florentinorum legationibus intermixtis Sacros diui domini nostri limites petiere, domini nostri presentiam petituri Sacratissimaque ipsius vestigia ex debito visitare cupientes. Cuius cum sanctitate perterciam horam ferme moram contraxere. Pridie vero Nonas Marcij eiusdem Illustrissimi domini ducis legaciones nonnullos Reuerendissimos Cardinales de more visitarunt. Rediit et hac die Reuerendissimus dominus Cardinalis Sancti Angeli, qui summi Pontificis iussu Diuo Cesari obviam se prefererat. Nonis Marcij officium visitationis in ceteros Reuerendissimos sacri Collegii Cardinales Illustrissimi.

simi Mediolanensis Ducis oratores peregerunt. Serenissimus dominus Imperator VIII. Ydus Marcij, hora fere XXIII. Sacram et optatam diu urbem applicuit, mirifice maximaque cum dignitate Susceptus a senatu urbis, magistratibus Romanaque plebe ceterisque nobilibus ac ciuibus et vniuersa concione, qui videndi ardore obuii sue maiestati diuenterant, dedicatoque extra haud procul ab urbis menibus atrio quodam ipsius auctore Thomafo Spinello, ciue Florentino et campore luculentissime expensis Summi Pontificis receptus est. Hoc vero actum ex priscorum auctoritate consuetudineque perspiciamus. Susceptusque benignissime summaque et ingenti ueneratione ab multis Reuerendissimis Cardinalibus, qui Serenitati sue iuxta collem, qui de extra penes portam, que atrio apostolico contigua exigua existit, obuios se tradiderant. Erat equidem, ut prediximus, dominus Bononiensis, qui sue maiestati socius proprios lares repetebat, cetera hominum innumerabili caterua noue rei admiratione longaque a consuetudine aliena concurrente, nec ibidem tocus Ytalie legaciones Dominorum dominiorum deerant, et sacre dignitati honoris glorieque gracia obuabant. Adtulit eadem dies hora XXIII. peracta Reginae Imperatricis future maiestatem, quam idem inibi propria ipsorum sententia necessario duxerunt hospitanam. Marcij autem Septima ydus hora ferme XVI. Romane urbis versus menia auctoritas cesarea iter

properans per pratorum dimidium, ut per eam, que penes molem existit adriani, portam urbem ingrederetur, transitum festinauit. Quam primum electi urbis regionum equites diuersis Insigniis vexilla deferentes a maioribus iussi preire festinant: de hinc nobilium virorum turba ex ordinis lege commeabat. Tocius demum Ytalie legaciones, aliis intermixtis proceribus ac dominis, qui summe dignitatis et inusitate rei stupore videre conuenerant, ex ordine procedebant. Aderatque regis Vngarie presencia, comitum, ducum ac aliorum procerum, militum nobiliumque multitudo, que in germanicis partibus socii regie maiestatis conuenerant. Succedebant posthec magistratus omnes urbis, et qui publico alio officio funguntur, suo quique habitu conuenerant, etiam utriusque et summi Pontificis et cesaree maiestatis exercitus insigni eorum vsui supellectili decorati; alter a dexteris, a sinistris vero alter campum majoris ducis iussu captauerunt. hora circa ferme XX. relictis campestribus iuxta adriani sepulchrum Cesar noster aduentauit attonitus, ut ita loquar, tubicinum ceterorumque instrumentorum diuerso clangore strepencium, qui astancium aures mirum in modum obtundebant: omnis enim populi multitudo, viri simul et mulieres, se ad spectandum, quo iter esset facturus, effundebat. Ipse demum Cesar candido et sublimi equo uehebatur, aureo pallio, quod nobilioribus hastis deauratis ferre continebat, ipso ingressu tegebatur,

tur, ceteraque spectacula admiratione precellens. Postremo autem sacerdotes regem hymnos laudesque concinentes precedebant. Est autem aspectu ipso perhumanus, omni dignitate et autoritate clarissimus, jocosus, hilari facie ac liberali, etate haud antiqua, neque communi hominum iudicio XLIIII^m attingere videbatur. Ea equidem comitate maiestateque ipsius ora redundabant, ut ipso aspectu orisque egregia specie, qui eum fore minime cognoscerent, eundem ceterorum regem penitus iudicarent. Quem post militum turba sequebatur ex hijs, quibus summus Pontifex stipendium prebet, quibusque Cesaris nostri maiestas stipata concesserat. Profliensque equo is, qui senatus dignitate haut tanta, sed nomine locum obtinebat, ad Imperatoris frena pedibus iter ad usque gradus sancti Petri ex priscorum auctoritate vetustaque consuetudine peregit, descendensque equo christianissimus Cesar, iisdem in progradibus donauit magistratus quosdam, qui moderno cappariones nuncupantur, eo sublimi sonipede, quem super in ciuitatis ingressu conscenderat; tales priscorum fuisse ritus et mores scriptorum attestatur autoritas. Profectusque ad templum Diui Petri a summo Pontifice, qui ante templi porticus exteriores fores residebat, perhumane receptus, et osculo pacis ad inuicem delibato, hominum mulierumque plaudencium ac diuersarum gencium dissonis et immensis sonitibus astra tenentibus, quo in loco serenissi-

mus Imperator summo Pontifici auro quamdam congeriem ex majorum more largitus est. Perrexit itidem regina splendida ornataque comitiua, que ab summo pontifice in eisdem progradibus graciose recepta est. Omnesque ex turba, qui sue maiestati comites aduenerant, summi pontificis plante dextereque osculo delibato ipsius benedictione fungebantur. Inde cum ad maius altare proficiscerentur, templi visitatione peracta, utriusque destinata pallacia diuertunt. Solitum autem summus Pontifex adire festinat. Erat enim Imperatori in propriam mansionem pallacium constitutum, quod diui Petri templo contiguum a dextris existit, quodque jam prius Camere apostolice vicem obtinebat. Regine uero uetus antiquum atrium, quod in progradibus templi est a sinistris fuerat institutum. Habes introitum. De coronacione uero relato, aures, obsecro, beniuolas intentasque exhibeto. XVI. Kalendas Aprilis petentes sancti Petri basilicam summus Pontifex ac Imperator ampliore templi ipsius aram adiungere. Erat equidem sedes ibidem excellens ac praeclara summo Pontifici constituta. Sedes uero a dextris procliuior Imperatorie maiestati prestabatur una cum Reuerendissimo Cardinali Portuensi. Assistentes uniuerse urbis synodus diuinis canentes instabant officiis, peractaque prima, que canonicarum prima sic horarum nuncupatur, coram summi Pontificis sede Imperator ac Regina, que ultimo conuenerat, iubentur ex ordine comineare. Re-

ceptusque summus Imperator pacis osculo a diuo Pontifice, habita breui oraciuncula per Reuerendissimum dominum Eneam senensem Episcopum, aureo annulo a Summo Pontifice decoratus est, qui et annulum Imperatricis digito solemniter imposuit, priscum ac sacrum fidei nostre ornamentum. Inde abeuntes alter solitam, reseruatum altera sibi sedem adiuerunt. Conditum erat tabulatum quoddam sublime juxta capelle maioris introitum a sinistris, ex quo Regine sedes alcius uniuerse plebis concionem eminuit, que longe innumerabilis, quam referam, spectandi ardore conuenerat. Celebracionis autem solemnem Epistolam cum recitasset Imperator, et summi pontificis presenciam aduenisset, genibus flexis in terram prostratus est, habitoque libro, qui pontificalis codicis nuncupatur, supra Imperatoris verticem oraciones aliaque diuina officia summus Pontifex ex more celebrauit, benedictioneque super eum effusa, eundem corona rotunda, quam argenteam regni Lumbarde dici referebant, propriis manibus decorauit. Eleuatus Imperator leui pacis osculo delibato constitutam sedem repetiuit. Cumque is, qui solemnem missam celebrabat, sacrificium, quod nostre uerum diuinumque fidei sacramentum predicamus, accepisset, iussi Ex matrimonii lege ad summi pontificis plantam Imperator ac Regina profecti sunt. Pergebat etiam a sinistris Ungarie Bohemieque rex, omnibusque stetit

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

humanitate prestancior, qui maiestati sue contiguus fuerat socius institutus. Super quo lectis oracionibus diuinisque aliis in huiusmodi sacramentis celebrari constitutis sedes itidem suas utrique pecierunt. Celebracione autem consummata demum summi Pontificis locum diuertere. Infusaque demum super eos ceterosque benedictione, proprias omnes edes accessere. Habes Imperatoriam maiestatem matrimonium primo contraxisse, de hinc prime corone coronacionem inuasisse. Decimo autem tercio Kalendarum Aprilis, hora ferme XVI. Cum coronacionis lux aduenisset, ingressus Cesar templi anteriorem porticum, quo ingressu in ostii limite iuramentum, quod maioribus nostris huiusce Imperatorie dignitatis loco gaudentibus inferri consuevit, summi pontificis autoritate suscepit. Constitutusque pone quoddam altare, quod a sinistris in ingressu porticus existit, Canonico- rum diui Petri consorcio est adiunctus, summo Pontifice templum ingrediente. Cum in templum profectus a Portuensi Episcopo, qui tunc hostiensis locum absentis obtinebat, oleo sacro imunctus est in capella, que sancti Mauricij cognomine nuncupatur. Indeque penes summum Pontificem assistens ad maius altare celebrantem, vestimentum in modum Diaconi indutus, ipsius benedictione potitus est. Demumque thalamum, quod confectum erat ex more uetusto, tabularum introiuit. Post hec autem cum regina in Petri basilicam incederet,

cederet, Portuensi sanctique Marci Cardinalibus deducta, predictisque loco et modo portuensi episcopo sacro religiosoque fuit inuncta liquore, adeuntemque reginam summum Pontificem sacra benedictione ornari conspeximus. Erectaque cellulam asseriam ex priscorum ordine ingressa est. Erant enim due cellule in Petri basilica constitute. Altera que a dextris pone amplio-rem capellam confedebat, regie maiestati fuerat instituta. Altera uero a sinistris regine dignitati fuerat indicata, interque celebrandum denuo summum pontificem celebrantem ad aram accessit Imperator, quem osculo pacis exceptum summus pontifex ense mundo enudatoque donauit, tamquam summi eternique principis militem, qui tuendam defendendamque Christi fidem apostoliceque sedis statum assumere non horreret, eodemque recepto in vaginam reposuit. Accinctusque eo Imperator a summo pontifice eundem euaginavit, quem vibratum repositorio lateri assistente proprijs manibus reclusit. Aureoque exinde dyademate manibus proprijs summus pontifex eundem coronauit, ita ut eius cornua in mitre modum ad tempora uerterentur. Aiunt, hanc qui coronam cognouerunt, eam fore, qua Karolus magnus priscis temporibus fuit insignitus, quam nemini absque summi pontificis iussu expressaque sententia vertice gestare licitum est, ut hausimus. Cum uero sceptrum summus pontifex rotundumque malum, quod mundum Decii refere-

bant, inque mundi forma insculptum aurea proprijs manibus exhibuit, habitaque summi Pontificis benedictione, serenissimus cesar se coram argentea Christi infixi cruci figura detulit, Nonnullas ex more maiorum oraciones submissa uoce relaturus. Aderantque sacerdotes tocus celestis Imperii sue dignitati implorantes adiumenta. Dumque sic uoce letanias sublimi concinerent, accessit Imperatrix, que a summo pontifice celebrante aurea corona coronata est. Completis tandem oracionibus, alter hanc, illam altera cellulam adiuere. Redeuntes postremo Imperator et Regina diuinaque communionem a sanctissimo patre refeeti eorum thalamos peciere. Celebratione autem exacta, sancti Petri templum relinquentes, tum summus Pontifex, tum Imperator solemnem ex more pluuialem uestem induti, equos ascensuri decliuorem graduum partem pecierunt; preibat etiam Indolis egregie Iuuenis quidam ereos numos, nec multos, plebi dispergens, ceterisque quibus spectaculis insuetum ornacius digniusque spectaculum, sed tanta cesarea dignitate autoritateque munus dignissimum summi tandem autoritate pontificis equum ascendentis, ex prisco consuetoque ordine, stamm proprijs tenuit manibus Imperator, pedesque ad summi pontificis loca iter nonnullis passibus comueuit, ascendens demum equum una uersus Adriani molem profecti sunt. Cum uero templum beate Marie transpontine deuenissent,

sent', quod parum citra pontem existit, pontifex donata Cesari rosa, munus, quod ex veterum consuetudine digniori, qui die ea viro curia teneatur, dari consueuisse percepimus; domum rediit, osculo pacis ad inuicem delibato. Imperator uero ueste sacerdotali contentus, ut ascenderet uersus Lateranensem basilicam, gradus direxit inter totius plebis vagitus gaudio letitiaque confecte. Pontem

autem molis Adriani cum transcenderet CC. aut hijs plures adolescentes ac uiros militaribus donauit insigniis. Hisque omnis urbs summis gaudio leticia hilaritateque confusa conuenit ad istam festi pulchritudinem, quam obsecro tenere omnipotens trinusque et unus deus (velit?) vindicem ut nobis totique non solum Ytalie, verum universo orbi, paci ac quieti in secula seculorum. Amen.

Finis totius Coronacionis.

Neapolim petiturus serenissimus Imperator XI. Kalendas Aprilis.

Eo diuertens Imperatrix VIII Kalendas Aprilis Romanorum limites dereliquit. Erat enim sibi comes dux Albertus, quem Imperatoris fratrem quam plures attestantur. Serenissimus Vngarie Bohemieque rex Rome eosdem redituros prestolatus est.

Illud addo: male intellectum a Bibliotheca Hist. Struuió — Buderiana Lambecium, dum T. I. p. 936. e Descriptione nostra Adnotationes Columbani de Pontumolo ad Nic. Lanckmanni de Falckenstein Historiam Desponsationis Imp. Friderici V. et Conjugis Eleonorae fecit.

XIX. fol. 164. p. 2. *De Urbis Constantinopoleos iactura captiuitateque ad S. dominum N. (Nicolaum) Summum Pontificem Leonhardi Echiem. (Chienfis) humilis Theologie Professoris Mi-*

thilenique Archiepiscopi historia incipit. Initium: Flere mihi magis licet &c. Extat in Annalib. Eccl. Abrab. Bzouii ad an. 1453. n. 6. p. 84. et pluries alibi, ut videre est in Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 817. hujus enim ordinis Professor erat Leonardus.

XX. fol. 185. *Johannes de bunyad comes perpetuus bis tricen. Magnifico domino Ladislao de gara regni vngarie palatino domino nobis honorando. Haec praeoccupata e calce Epistolae datae: Nandoralbe (Belgradi) Sabbato die proximo ante festum Sancti Jacobi apostoli Anno domini MCCCCLVI. itaque eadem die, qua Heros ille depulsum ab obsidione Turcam Regi suo Ladislao nuntiarat, cuius Epistolae exemplar e Cod. Mellic. Cl. Prayus Annalium suorum Parti III. L. 3. p. 180. inferuit. Cui cum singulis pene verbis nostra, quamvis paullo succinctor, consonet, non nisi initium*

tium hic adscribam: *Nouitates* *bas vestre dominationi scribere possumus, quomodo Imperator thurcorum* (Mahometes II.) *sua valida potencia et cum nonnullis ingeniis* (machinis et tormentis) *ad expugnandum castrum Nandaralbense uenerat &c.* Nulla in utraque Epistola *Job. Capistrani* mentio.

XXI. fol. 186. *Alia Anonymi de eodem Argumento Epistola data: Ex wienna cursorie feria II. In die Sancti Steffani pape et martiris. Anno domini MCCCCLVI.* Itaque intra dies 8. Nuntius *Belgrado Viennam* adsecutus est. Initium: *Uenerabilis domine heri clausis literis vestre f. p. mittendis uenerunt noua ex ungarya &c.* Narrantur duo christiani de *Turcarum exercitu* *Gubernatori* (*Job. Hunyadi*) indicasse *Hofis* consilia, inde illum clam noctu XL. Millia *Peditum* et quasi M. *Equites Belgrado* induxisse. De *Capistrano* haec: *in pinnaculo in loco eminenti castri stans crucifixum erigens clamabat flebili ejulatu: O deus meus, o ihesu, ubi sunt misericordie tue antique. O ueni ueni in adiutorium. Noli tardare. Veni libera, quos precioso sanguine redemisti. Veni noli tardare, ne dicant, ubi est deus eorum &c.* *Hec de capistrano non comprehenduntur in littera gubernatoris. Sed qui ascendunt dicunt, ut etiam affirmat dominus Michael baldoff, qui heri sero uenit de domino legato* (*Johanne Card. S. Angeli Budae morante*) &c. *qui uidit*

quod bude tantus iubilus fuit cum campanis omnibus et ignibus &c. — *Littera lecta est heri domino patauensi* (*Ulrico de Nufsdorf Ep.*) *et dominus Job. mulfelder ita nobis retulit, quod buniad scripsit tot esse interemptos, de quorum numero nescit. Mox crifin exerit Epistolographus: Pauci nobiles ibi fuerunt, sed solum mechanici. Vereantur effeminati nobiles, qui tam egregium actum neglexerunt, superbie solum inherentes, et que uanitates sunt, sectantes, non que honoris dei et status eorum. Captas ait: Bombardas XII. maximas de XXXII. palmis in longum et in latum VII. et buffnitzbugschen* (*Haubitzbüchsen ab Hufe, Hube, Haube?*) *CC. et ultra. Hoc scribit gubernator filio suo* (*Matthiae?*) *ut regi referat &c.* — *Ista littera heri sero ad baden missa est; (Thermas nempe 4. horis Vienna distantes, ubi tum Ladislaus moratus fuerit) Hodie hora nona reuersa legatio per totam ciuitatem equitauit buccinis precedentibus proclamando, quod omnes uolentes recipere stipendia a regia maiestate ueniant &c.* Epistolae subiecti sunt *rhythmi* quidam *rudes eandem uictoriam celebrantes.*

XXII. fol. 188. *Rudolfus dei gratia Episcopus wratisl. Apostolice sedis legatus &c.* *Litterae datae, ut in calce: Venerabili et circumspecto discretisque uiris domino Job. Lansteyn decano, Jacobo Tyrner Semiprebendario, Hermannno fritag et Henr. Sweden Vicariis*

carus ecclesie majoris wormacien. Amico et sociis suis carissimis. Ad Rhenum natus erat Rudesheimii Rudolphus a Sede Lavantina ad Wratislaviensem translatus a. 1468. Inde, ut videtur, haec cum Wormatiensibus consuetudo. Argumentum porro Literarum, quarum initium: *Quantos labores sollicitudinem atque curam &c. molestiae in legatione sua exantatae, spes in Matthia Hungariae Rege, quem ob ipsius amplas virtutes et merita ipsa die Inuencionis sancte Crucis 3^a Maij in ecclesia Olomucen. premissis Missarum solemnibus de spiritu sancto celebratarum ipso inspirante concorditer et unanimiter in regem bohemiae elegimus, Consensus Moravorum, Catholicorum Baronum Bohemiae, Silesiorum et utriusque Lusatiae in hanc electionem, Matthiae ipsius confidentia, quod illustrissimi principes domini electores Imperii ceterique duces principes prelati populi que catholici nationis nostrae ad extirpandam funditus huiusmodi heresin suae celsitudini velint et dignabuntur assistere.* Finis: *Hec noua vos domine decane cum sincera commendacione nostra Illustrissimo domino (Fridrico Victoriolo) Comiti palatino Rheni duci bauariae Principi Electori Imperii, Reuerendis patribus dominis Wormacien. et Spiren. scribere et copiam litere nostrae transmittere. Similiter et dominis de Capitulo wormac. domine abbatisse in Nonnenmunster (O. Cist.) Priori et patribus kyrsgarten. (O.*

Can. Reg. S. Aug.) ceterisque dominis et fautoribus nostris significare. Ipsosque in kyrsgarten et Nonnenmonster hortari uelitis, quatenus omnipotentem deum orent, ut quantocius hec labes et heresis buffytica penitus exterminetur et cesset. Datum in Olomuncz VI. Maii Anno domini MCCCCLXIX. De rerum successu haec in Nic. Henelii Annalib. Siles. T. II. Sommersberg. p. 349. Quod Calicis usum permittere Bojemis Mathias nollet, mox eo repudiato Wladislaus Casimiri Poloni Major natu Filius, Georgio (Podiebrado) non usque adeo invito, sed ut hic ad Mortem usque Regnum retineret, subrogatur. Tametsi vero Regno Boemiae Mathias potitus non est, Titulum tamen ejus retinuit, nec Moraviae solum sed Silesiae, quoad vixit, Dominus fuit. Lusatiam neutram a Boemia descivisse, nec unquam Mathiam Dominum agnovisse Auctor est Casp. Peucerus Chron. L. V. cui vix est, ut hac quidem in re assentiri possim. Recte; nam et Notker ait: *Lusacya denique superior et inferior (Matthiam) in regem gratanter et sponte recipiunt.* De Rudolpho Ep. adi T. mox cit. p. 170. 195. T. III. p. 16. Hactenus egregius Codex.

CLXXXIII.

VI. 7. 3.

Codex chartaceus lat. Sec. 806. XV. Folior. 185. 8. currente calamo scriptus et olim Wenc. Ros. Ll 3 sae